

GREGORIUS. PP. XVI.

Dilecte Fili Noster salutem et Apostolicam Benedictionem. Hominem agnoscimus in Tuis Literis vere et ex animo bona precantis a Domino humilitati Nostrae. Nam sive locum cogitemus, sive tempus, sive studium precum Tuarum, nihil sane optandum Nobis fuisset magis idoneum ad impetrandum. Sic nihil impediat ex parte Nostra quominus Clementissimus humani generis Salvator, quam misericordiam tam multis pie orantibus in domo ipsa, in qua homo factus est et habitavit in Nobis, ac diebus tanti mysterii cultui dedicatis, impertiri solet, eam imploratam a Te pro Nobis, Nos quoque velit experiri, qui in hac praesertim temporum difficultate praepositi Ecclesiae ejus gubernandae praesenti gratia caelestis auxilio tantopere indigemus. Ceterum cujusmodi Tibi habeamus pro talibus officiis gratiam existimari a Te facilius potest, quam verbis a Nobis explicari. Largitorem caelestium donorum Dominum in gremio Virginis Matris tamquam in throno gratiae sedentem, per merita ejusdem dulcissimae Matris suae supplices obsecramus, ut novus hic annus et quampluri in posterum Tibi felicissimi contingant; ac pignus paternae grataeque voluntatis Nostrae Apostolicam Benedictionem Tibi, et credito pastoralis curae Tuae gregi peramanter impertimur. Datum Roma apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII. Januarii MDCCLXI. Pontificatus Nostri Anno Nono

GREGORIUS PP. XVI

Istituto Campana Osimo ®

Dilecto Filio Nostro
Joanni Tituli ^{N^{orum}} Quatuor Coronatorum
Presbytero S.R.E. Cardinali Doglia
Episcopo Auximano
et Cingulano

